# Esaias

## Incipit Esaias propheta Capl'm I

Visio Esa-
ie filij amos: quaz vi-
dit sup iudam ꝛ hie-
rusalez. in dieb) ozie
ioathan. achaz ꝛ eze-
chie regum iuda. Audite celi ꝛ auribus
ꝑcipe terra: qm̄ dn̄s locut⁹ ē. Filios enu-
triui ꝛ exaltaui: ipsi aūt spreuerunt me.
Cognouit bos possessorem suū: ꝛ asinus
ꝑsepe dn̄i sui. Isrl' aūt me nō cognouit:
et ppl's meus nō intellexit. Ve genti pec-
catrici: pplo ḡui iniq̄tate. semini nequā:
filijs sceleratis. Dereliquerūt dn̄m: blas-
phemauerūt sanctū isrl': abalienati sunt
retrorsū. Sup quo ꝑcutiam vos vltra
addentes ꝑuaricationē. Oē caput lan-
guidū ꝛ oē cor merens. A planta pedis
vsq̄z ad verticem non est in eo sanitas.
Vuln⁹ ꝛ liuor ꝛ plaga tumēs: nō est cir-
cumligata nec curata medicamine: neq̄z
fota oleo. Terra vestra deserta: ciuitates
vestre succēse igni. Regionē vr̄am corā
vobis alieni deuorant: ꝛ desolabit' sicut
in vastitate hostili. Et derelinquet' filia
sion vt vmbraculum in vinea: ꝛ sicut tu-
guriū in cucumerario. sicut ciuitas q̄ va-
statur. Nisi dn̄s exercituum reliquisset
nobis semen quasi sodoma fuissemus: ꝛ
quasi gomorra similes essemus. Audite
verbū dn̄i ꝑncipes sodomoꝝ: percipite
auribus legem dei vestri ppl's gomorre.
Quo mihi multitudinez victimarū ve-
strarū dicit dn̄s? Plenus sum. Holo-
causta arietum ꝛ adipem pinguiū ꝛ san-
guinē vituloꝝ ꝛ agnoꝝ ꝛ hircoꝝ nolui.
Cū veniretis ante ꝯspectū meū: q̄s que-
siuit hec d' manib) vr̄is. vt ambularetis
in atrijs meis? Ne offeratis vltra sacri-
ficiū frustra. Incensū abōiatio est mi-
hi. Neomeniaz ꝛ sabbatū ꝛ festiuitates
alias non feram. Iniqui sunt cetus ve-
stri. Kalēdas vr̄as ꝛ solennitates vr̄as
odiuit aīa mea. Facta sūt mihi molesta
Laboraui sustinēs. Et cū extēderit' ma-
nus vr̄as. auertā oculos meos a vobis
et cū multiplicaueritis orōnē. non exau-
diam. Manus eni vestre sanguine ple-
ne sunt. Lauamini. mūdi estote. auferte
malū cogitationū vestrarum ab oculis
meis. Quiescite agere ꝑuerse: discite be-
nefacere. Querite iudiciū. subuenite op-
presso. iudicate pupillo. defendite vidu-
am. ꝛ venite ꝛ arguite me dicit dn̄s. Si
fuerint peccata vestra vt coccinū: q̄si nix
dealbabunt': ꝛ si fuerint rubra q̄si ūmi-
culus: velut lana alba erunt. Si volue-
ritis ꝛ audierit' me: bona terre comedet'.
Qz si nolueritis: ꝛ me ad iracūdiā ꝓuo-
caueritis. gladius deuorabit vos: quia
os dn̄i locutuz est. Quō facta est mere-
trix ciuitas fidelis: plena iudicij? Iusti-
cia habitauit in ea. nūc autez homicide.
Argentum tuū versum est in scoriā: vi-
nū tuū mixtū ē aqua. Principes tui in-
fideles: socij furū. Oēs diligunt mune-
ra: sequūtur retributiōes. Pupillo nō
iudicant: ꝛ causa vidue non ingreditur
ad illos. Propter hoc ait dn̄s deus ex-
ercituū fortis israel. Heu ego consola-
bor super hostibus meis. ꝛ vindicabor d'
inimicis meis. Et conuertam manū me-
am ad te: ꝛ excoquam ad puruz scoriam
tuam: ꝛ auferam oē stanū tuū: ꝛ restitu-
am iudices tuos vt fuerūt prius ꝛ consi-
liarios tuos sicut antiquit⁹. Post hec
vocaberis ciuitas iusti: vrbs fidel'. Sion
in iudicio redimetur: ꝛ reducent eam in
iusticia. Et cōteret scelestos ꝛ peccatores
simul: ꝛ qui dereliquerūt dn̄m. cōsumēt'.
Confundent' eni ab idolis quibus sacri-
ficauerunt. Et erubescetis super hortis
quos elegeratis: cum fueritis velut quer-
cus defluentibus folijs. ꝛ velut hortus
absq̄z aqua. Et erit fortitudo vestra vt
fauilla stuppe. ꝛ opus vestrū quasi scin-
tilla: ꝛ succēdetur vtrunq̄z simul: ꝛ non
erit qui extinguat.

## II

Verbum quod vidit esaias fili-
us amos super iudeam ꝛ hieru-
salem. Et erit in nouissimis die-
bus preparatus mons domus domini

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-104/0597
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG